

- 30 Quibus, & contra quos detur actio pro socio, & quæ requirantur. Remissio.  
 31 Actio pro socio datur heredi contra heredem.  
 32 Quomodo formetur libellus in actione pro socio. Remissio, &c.

## C A P V T V L T I M V M.

## De Actione, quæ in cau. Societ. comp.

**H**Acenus clarius, & breuius, quam potui materiam Societatum tractavi; Hunc de actione, quæ pro illis competit, consequens est, ut videam.

- 1 Duas itaq; in hoc ultimo capite regulas constituo. Prima est dari actionem pro socio non solum ut ratio administrationis reddatur, & communicanda communicentur, l.i. ff. pro socio, verum etiam ad impensas in recommuni per socium factas; ad fructus quos alter ex re communi solus percepit; ad ea quæ à socijs in pactum fuerunt deducta; & in summa ad praestandum quicquid dolo vel culpa socij admissum fuit. Hanc regulam probat Ang. Aret. inst. de act. §. sequens. vers. sequitur. in tex. num. 11. & Oinot. inst. de act. §. quedam actiones. de act. com. diuid. vers. ad quid hac actio detur. num. 11. quæ licet dicta sint in materia actionis communii diuidendo, possunt tamen extendi ad actionem pro socio: in his enim quæ ex societate dependent, simul concurrunt ha-  
 2 duæ actiones communii diuidendo, & pro socio. Oinot. loc. cit. num. 7. & nu. 8. vbi has duas actiones conuenire quo ad personales præstations, sumptus, & fructus ab utraq; parte factos, & perceptos testatur.
- 3 Amplia primo regulam procedere etiam inter locatorem, & condu-  
 3 storem; Nam inter istos, ex eo quod societas potius dicitur, quam locatio si fundus ad partem fructuum detur, Bart. in l. si merces, §. vis maior. ff. locat. num. 3. competit etiam actio pro socio, non autem actio ex loca-  
 4 to, & conducto. id. Bart. in d.l. si merces. d. §. Vis maior. num. 9. vbi etiam voluit quod in libello contra colonum partiarium narrari debeat eum esse socium, & è conuerso in actione contra Dominum.

Contra hanc primam ampliationem, & Bartoli Doctrinam facere vi-  
 5 dentur, quæ tradit idemmet Bart. in l. si apes, §. 1. ff. de fur. & Bal. in l. cer-  
 5 ti. in 3. quæst. C. locati, vbi tenet aperte quod inter locatorem, & condu-  
 6 storem agatur præscriptis verbis. Sed dicendum est Bart. in d.l. si merces, loqui de Colono partiario qui socius dicitur Bal. verò in d.l. certi, & Bart. in d.  
 l. si apes, intelligere de Colono qui nummis colit, unde mirum non est si contra illum determinatur competere actionem pro socio, contra vero istum, aliam quæ præscriptis verbis dicitur. Ex quibus colligitur (pro-  
 6 uer Bartolai in d.l. si merces docet) Dominum in libello contra colonum qui nummis colit debere necessariò narrare eum esse conductorem, sicut

è con-

è conuerso in actione contra Dominum, quod non fit inter colonum partiarum & Dominum per ea quæ supra dixi. n. 4. secund. eundem Bart.

Amplia secundo eamdem regulam procedere non soluth in actione pro socio directa, ut quando contrahitur ad usum commodiorem, & ubi-  
 6 riorem quæstum, ad tradita per Spec. part. 4. tit. de iud. §. 2. nu. 10. sed etiam in actione pro socio utili, utputa quando non contrahitur societas ad commodiorem usum, & quæstum ubiorem, prout evenit inter scola-  
 res insimul habitantes. Specul. par. 4. §. 2. tit. de iud. num. 11. per l. perceptio-  
 nem, ff. de his qui deie. vel eff. siue quando cum Procuratore meo conra-  
 eta fuit societas, nam his casibus utilis actio competit: l. iulianus, §. si  
 procurator. ff. de act. emp. secundum Az. in summa, C. eod. circa finem.

Limita tamen primo regulam non procedere quando socius de re  
 7 communi, nomine suo contraxit; Tunc enim quia videtur à societate receisse, actio pro socio non competit. Bertach. in suo reper. par. 1. litera A. ver. actio pro socio. vers. 2. vbi citat tex. in l. verum, §. fin. cum gl. 1. & l.  
 seq. ff. pro soc. & dicit ita habuisse de facto in Civitate Firmana, in cau-  
 sa ardua inter illos de Seruigliano.

Limita secundo regulam non procedere quando proposita fuit actio  
 8 communii diuidendo; Nam tunc quia ambae sunt rei persequutoriz, l.  
 pro socio. in fin. ff. pro socio. per hanc tollitur actio pro socio. Oinot. inst.  
 de act. §. quedam actiones. de act. com. diuid. num. 7. & 8. vers. Ad quid hac  
 9 act. & Spec. tit. de act. vers. item reperitur. vbi actiones quando plures  
 10 competit, & una eligitur, aliae tolluntur; Et Specul. tit. de teste. §. satis  
 viliter. vbi actiones plures ex eodem factis competent, & una sit inten-  
 tata, altera excluditur.

Contra hanc secundam limitationem facit tex. in l. si actum; & ibi Bart.  
 11 ff. pro socio. vbi actio pro socio per actionem communii diuidendo prius  
 motam non tollitur. Cogita.

Limita tertio regulam (& hæc limitatio venit illatiuè ex præceden-  
 12 ti) non procedere quando pro damno dato in societate, proposita fuit  
 actio legis Aquiliæ; vel quando pro re communii per alterum ex socijs  
 dolo contrectata, fuit proposita actio furti ad pænam dupli, vel qua-  
 13 quadrupli (prout fieri potest). Tùm si socius per fallaciam, doloue malo a-  
 mouit, vel rem communem celandi animo contrectauit. Azor. Inst.  
 moral. lib. 9. par. 3. cap. 5. in fin. per l. rei communis, ff. pro soc. Tùm etiam si  
 socius re communii vitetur ad alium usum quam destinatum, & socio  
 auferit cōmoditatem vitendi parte sua, his enim casibus socius furtum  
 facere dicitur, si dolo tamen hoc facit. Bart. in l. si socius, ff. de fur. not. in  
 l. merito, & l. sabinus, ff. com. diuid. & in d.l. rei communis, ff. pro socio.) Tunc  
 inquam quod una actio ex his proposita, actionem pro socio tollat, & è  
 contra, voluit Pet. de Val. de duob. fratr. par. 15. circ. med. vbi tamen re-  
 stringit hoc in actione furti, quæ ad pænam datur.

Limita quarto regulam non procedere si agatur ut socius conuentus totum debitum insolidum soluat, sed procedere tantummodo ut socius soluat secundum quod soluere potest, ita ut tantum in condemnatione de bonis relinquatur, quantum ei sufficere potest pro viatu secundum eius qualitatem. *tex. est in l. verum, ff. pro socio, vbi gl. in verb. fraternitatis assignat rationem.* & *Guliel. Mayn. in l. in omnibus causis, ff. de reg. iur. nu. 12.* & *Oinot. inst. lib. 3. de fideiūsor. §. si plures. num. 20.* & *Munoz. de ratiocin. cap. 25. n. 11.* & *seqq.* & *Bart. in d. l. verum, in prin. in primo no. ff. pro socio;* & *Bal. in rubr. C. eo. tit. in fi. vbi ex eo quod socius beneficium habet ut non teneatur socio, nisi quatenus facere potest, voluerunt nec consequenter illum posse carcerari.*

Extende hanc quartam limitationem procedere etiam in colono partario conuento à Domino; cum enim ipse dicatur socius Domini Bart. in l. si merces, §. vis maior, ff. locat. non poterit ab eo exigi ultra quam facere possit, id est deducto ne egeat. Ita *Franc. Crem. nu. 155. incip. tuis*, quod socius. & *Raph. Fulg. in d. l. si merces, §. vis maior, ff. locat. vbi Colonus partarius non tenetur ultra quam facere potest,* secus autem Colonus qui nummis colit. *Barth. Cep. in fin. vers. 135.*

Extende secundo eamdem quartam limitationem procedere etiam in particulari socio; Is enim nec poterit à socio conueniri nisi deducto ne egeat. *Guliel. Mayn. in d. l. in omnibus causis numero tertio, ff. de regul. iur.*

Extende tertio supradictam quartam limitationem procedere etiam in fratibus. *Surd. de Alimen. omnino videndus. q. 78. fol. 71. quem refert* & sequitur *Munoz. loco citat.* & *Guliel. Mayn. in d. l. in omnibus causis. num. 24.* ff. de reg. iur. vbi disputat hanc questionem, & relatis hinc inde contrarijs opinionibus, tandem num. 25. concludit quod frater non debeat conueniri insolidum ad totum debitum, sed tantummodo in quantum facere potest, & deducto ne egeat.

Extende quarto eamdem quartam limitationem procedere etiam in casu, quo persocium & alios renunciatum esset expresse tali beneficio Nam non obstante tali renunciatione conueniri non poterit nisi in quantum facere potest. Ita *Munoz. loc. cit. post Iac. Bar. introit. de renunc. cap. 10. vol. 12.* Verum in hac extensione dissentit aperte *Pet. de Vbal. de duob. frat. vlt. vbi relatis hinc inde contrarijs concludit*, posse hoc casu socium insolidum ad totum debitum conueniri. Huic *Pet. de Vbal. opinioni de facili, me subscriberem, nam si quilibet fauori pro se introduco renunciare potest, & sibi præjudicare, Spec. de recusat.* §. si. vers. item numquid. & *Bal. in l. pacta nouissima. in fi. C. de pacl. nescio videre cur in supradicto casu socij sibi præjudicare non possint.*

Sublimita tamen prædictam quartam limitationem, secundum eundem. *Munoz. de ratiocin. loc. cit. num. 13. cum seqq.* Primò quando socius alias bona

bona pro suo viatu necessaria haberet: secundo quando iuramento promisisset integra reliqua socijs se soluturū: Tertiò quando socius habet officium vel artificium, ex quo laborando se alere posset: Et quartò quando socius dolo fecisset, quod minus reliqua integra socijs soluere posset; His enim quatuor casibus posse conueniri in solidum socium ad totum debitum tenet id. *Munoz. videatur omnino quia rationes in omnibus ponit, pulchra iura, & plurimorum DD. auctoritates. Videatur etiam Guliel. Mayn. in d. l. in omnibus. num. 14. de reg. iur. vbi dicit socium habentem artem de qua vivere possit, non gaudere priuilegio ne conueniatur ultra quam facere potest.*

Sublimita insuper quando socius mendax in hoc fuisse repertus; Nā licet regulariter insolidum non possit conueniri, vt dixi in quarta limitatione, num. 14. Tamen bene poterit propter mendacium ipsius, *Oinot. inst. lib. 3. titulo de fideiūsor. §. si plures. num. 20. in add. litera C. vbi allegat tex. in l. si unus, ff. pro soc.* Et hæc de prima regula.

Secunda regula, quam in hoc ultimo capite constituendam dixi, est quod inter socios competit actio pro socio, finita tantum societate, *tex. est in l. actione, ff. pro soc.* & *in l. tamdiu, vbi B. il. C. pro soc.* & *l. 1. C. vt act. ab bared.* & *cont. bared.* & *alijs ll. per Specul. adduct. lib. 4. titulo de iud.* §. 2. nu. 14. & *Alex. in d. l. actione, Ang. & B. il. in l. 1. C. de an. excep.* & *gl. in l. sicut, C. de act.* & *obl.* Durat enim Societas in lucro, ita ut illud non possit diuidi, donec duret Societas in capitali, *Bar. in l. fi. vers. ultimo not. C. de frum. vrb. const. lib. 11.*

Limita tamen hanc secundam regulam, competere quidem actio nem pro socio finita Societate quando agitur, vt communia diuidantur, & vt rationes reddantur, non vero quando agitur ad societatem contractam adimplendam, & perficiendam; Nam hoc casu datur actio pro socio, etiam non finita societate, l. cum duobus in prin. §. papinianus, cum simil. ff. pro socio, & *Oinot. §. quedam actiones, inst. de act. vers. de act. com. diuid. num. 8.* & *Pet. de Vbal. par. 15. circa princip. de duob. fratr.* & *videtur voluisse Specul. par. 4. de iud.* §. 2. num. 4. in fin. & tradit. *Ang. Aret. inst. de societ. §. socius, num. 2.* & *not. glos. in l. tamdiu, C. pro soc.* & *id. Ang. Aret. repetit hoc inst. de act.* §. sequens, num. 8. & num. 11. vbi ad societatem adimplendam, & perficiendam, vt scilicet fiat cessio nominum, & collectio rerum in communi secundum conuentionem sociorum, statim in ita societate nasci actionem dicit, per *tex. in l. 3. in pri. ff. pro soc.*

Limita secundo eamdem secundam regulam non procedere quando agitur ad interesse, vt si intempestiū renunciatum fuerit per socium societati; Tunc enim ante finitum tempus societatis intentari potest actio pro socio, *Oinot. in loco præcitato.*

Limita tertio secundam regulam non procedere quando socius vult agere contra socium ne faciat in re communi illud cuius gratia non est

contracta societas; Hoc enim casu actio pro socio competit, etiam non finita societate, l. si fundus ff. pro socio.

Limita 4. nec itidem procedere secundam regulam quando alter so-  
26 ciorum vti euellet re communi, & alter negaret; Nam datur actio pro  
socio etiam non finita societate, vt patiatur socium re communi vti l.  
cum duobus §. item mela. ff. pro soc. & per illum tex. Pet. de Ubal. de duob.  
frat-par. 15. circ. med.

Limita quinto secundam regulam quando socius alium socium de-  
27 dolo, fraude, vel culpa commissa vult conuenire; Nam tunc durante so-  
cietate nascitur actio pro socio. Angel. Aret. inst. de act. §. sequens, nu. 10.  
& id. Aret. inst. de societ. §. socius, num. 2. vbi subiungit posse socium pro  
hoc actu singulari actionem intentare quandocumque ei expedierit,  
non eo quidem animo, vt distrahatur societas, sed solum animo calculandi,  
vt videatur quomodo negotietur, an pecunia stet otiosa, & an  
perdatur, vel lucretur.

Limita 6. non procedere regulam quando agere contra socium in-  
28 tendit socius ad personales præstationes, vt ad impensas, fructus, & cæ-  
tera damna, verbi gratia quando repeteret vult à consocio, vel expensas  
in re communi factas, vel partem fructus, quos ille consumpsit; Nam  
tunc agi potest etiam societate durante, Ita egregie Ang. Aret. inst. de  
act. §. sequens, vers. sequitur in tex. n. 9. & 10.

Limita ultimo regulam in quacumque societatis necessitate; Tunc  
29 enim actionem pro socio posse durante societate intentare, est gl. & Bal.  
in d. tamdiu, C. pro socio.

Hic pro complemento operis pertractare mihi necesse esset quibus,  
30 & contra quos detur hæc actio, que ad hanc requirantur, & quomodo  
formetur libellus: Verum quoniam ista colligi ad sufficientiam pote-  
runt ex Omot. loc. pract. & ex Spec. de iudic. §. 2. & de act. seu pet. §. verum,  
31 circa med. & de arbit. §. differt autem, vers. quid si sit, vbi hanc actionem  
dari etiam hæredi contra hæredem voluit: Et ex Ang. Aret. inst. de societ.  
§. socius num. 1. vbi an etiam in hoc iudicio possit intentaria actio contra-  
ria docet; & ex eod. Ang. in §. sequens, inst. de act. post num. 11. vbi secun-  
dum emergentiam, & diversitatem casuum tradit modos in hac actione  
formandi libelles, docetque quale in unoquoque casu debeat esse me-  
dium concludendi, & qualis narratio. Ego ad tantos viros te remittere  
volui, spe non modica fretus te ex illoram dictis maximam esse perce-  
ptum satisfactionem, &c.

# APOLOGIA



N Benigne Lector, Opusculum quod Deo  
Opt. Max. Beatissimaq; Virgine Maria, ac  
Beatis Caprasio, & Iacobo adiuuantibus,  
ex grauissimis Doctoribus concinnaui.

Ne mireris si tam rude ac inelegans in hunc mundi  
Theatrum prodire ausus fui: Nam ab ipso temporis  
articulo, quo tali me accinxii labori, licet plurimum  
otij mihi concederit Illustrissimus Dominus Opicus  
Malaspina Marchio Liccianæ, apud quem tunc tem-  
poris eram causarum Auditor, adeoq; erga me gratio-  
sus in cæteris etiam extiterit, vt non solum summam in  
illum animi mei propensionem, singularemq; obser-  
uantiam numquam interituram excitauerit, verùm  
etiam me sua humanitate adstrinxerit, eumdemmet  
semper prædicare, generis nobilitate insignem; iusti-  
tiae, legumq; vindicem, & tutorem; virtute, sapientia,  
probitate, animiq; integritate prædictum; In pauperes  
pientissimum; & in subditos adeò clementem, vt ma-  
gis ab eis amari quam metui studeat, & si interdum se-  
ueritate opus est, paterna quidem vtatur non tyranni-  
ca; Tamen necesse potius mihi fuit Satyricarum non-  
nullorum linguarum gladios acutissimos compesce-  
re, quam otio mihi tam benigne ab eodem Illustrissi-  
mo Domino concesso, frui, animiq; quiete authores  
reuoluere, ac intrinsecus ponderare. Experiebar enim  
in dies, quod illa Regione, nonnulli sub laudis specie,

nonnulli sub tegmine zeli, nonnulli sub miserationis colore, & nonnulli modis, ac verbis expressis, ita de hoc, & de illo loco audebant, ut aliorum honori labem inferre, adspergere maculas, tenebras offundere, & multis preuijs falsitatibus à Dominorum gratia ipsorum deditissimos declinare curarent. Experiebar itidem, quod illorum plerique internas aliorum cogitationes perscrutari studentes, ac nutus, verba, & gestus diligenter obseruantes, aliorumque actiones hoc vel simili modo censurantes, omne bonum in malum interpretabant, illorum quae pulcra erant criminoso nomine inquinabat, honestarum rerum splendorem maculabant, quae pleno ore erant laudanda accusabant, omniaque ut dixi peruersè interpretando in pessimam partem accipiebant, & si ut palam detrahebant assiqui non poterant, tantam alijs tacite suspicionem mouebant, ut vitium omne inesse à quo culpa omnis aberrat, facile plerique suspicarentur. Horum quidem in causa, duę (ut opinor) fuerunt proborum virorum perditissimae hostes, inuidia (inquam) & ambitio; in quarum fomentis adeò delabuntur ille gentes, ut eò veniunt insaniæ ut vanis & futilibus argumentis sive omnium optimos extimantes, optimique ab alijs haberi volentes, vel alios contemnunt, ac minoris quam decet extimant, si quos sibi impares esse iudicant, vel è contra alijs inuident, si quos vel sibi pares, vel se superiores vident. Absit à me quod conquerar ego de falsis eorum erga me detractionibus: volui enim potius dum ibi commorabar, tūm patientia armatus illis per an-

num resistere, ut tales perditionum hominum imperium & improbitatem possem virtute infringere, tūm dein priusquam de aliqua ultiione cogitare, iuxta Euangelium Math. cap. 10. morsus hosce praevio discessu ab illa regione euitare, ut tandem aliquando animo tranquillissimo, ac omni angore libero viuerem. Ita igitur exequutus fui. Spem tamen retinui, gentes huiusmodi quae signum in fronte tenent vitiosæ suæ naturæ, & pro infamibus ab omnibus cognoscuntur, vel ab Omnipotenti Deo futuros rigorosè castigandos, vel tām iniquè num de hoc, tum de illo prædicando; nil aliud demum effecturos, quam suo proprio afflatu puluerem extollere, & in suos metiplos oculos conuertere. Sed de his haec tenus. Hæc fuit una ex causis (Carissime Lector) cur iuxta mentem meam, tuam satisfactionem forsan asssecutus non fui.

At si dicas tale opusculum nequaquam in lucem proferendum esse, nisi saltem sæpè ac sæpius esset reuism, summa industria correctum, & in quantum ingenij acies se extendat ad ultimam perfectionem redatum: Respondeo quod hoc optimè procederet, si nostrorum annorum cursus, magis quam ab omnipotenti Deo humanis corporibus fuerit præscriptum, protraheretur, vel quādo pro certo haberemus, quod hoc per breue tempus ab infinitis accidentibus, fortunæque ac casus perturbationibus, nec non à varijs infirmitatibus, & angustijs nobis minimè interrumpetur, prout equidem mihi peculiariter Venetijs accidit præteritis mensibus, ubi dum de huius opusculi correctione, &

ne, & perfectione cogitabam, præter longas, periculisq; infirmitates, in quibus pluriè incidi, adeò mihi Pestis periculum imminebat, vt ab omnibus, ac præsertim à Peritissimis in Medicina fuerim secundò & tertio pro mortuo habitus. En igitur (benignissime Lector) alia causa, quæ vna cum Dominorum meorum, quibus obedire in omnibus teneor, iussu ac conatu, præbuit mihi ansam, cur hanc primam tantummodo adumbrationem, siue Archetypum sic imperfectum edere auderem; mihi nihil displicens, immò desiderans omnium correctionibus, ac censuris illam subjicerem, contentus eas audiendi, ac hilariter in eas incumbendi, dummodò non ab ignorantia vel malevolentia, sed à sana Doctrina & iudicio, à caritate, & humanitate essent associatæ; sperans tales ingenuos spiritus huic meo labori non mediocre beneficium esse allaturos, dum præuijs eorum obseruationibus, ab ipsis valdè facilius ac breuius quam ipse solus sitè fecisset, correcta atq; limata remanent hæc adumbratio.

De erroribus demum qui forsan in Typis præter opinionem & desiderium sunt elapsi, spero fore apud te ex usatione dignum; nam præter errandi impossibilitatem quam secum fert Typographia, mihi Illustrissimus & Reverendissimus D. Paschalis de Grassis (qui propter eloquentiæ, doctrinæ ac sapientiæ singularitatem, & tamquam iurisdictionis ecclesiasticæ propugnator, ac in rebus peragendis dexteritate insignis, viuit, in suæ Patriæ splédorem, Episcopatu Clodiensi decoratus) ardua adeò negocia commisit, vt correctioni inseruire minimè po-

tue-

ruerim. Istos igitur, sicut alios virgularum, punctorum, litterarumq; (si quæ sint) præpositorum, vel malè positarum errores, ne dedigneris tua benignitate percurrere: hilari vultu tale quale est opusculum accipias: & credas maiora (prout iam dixi) recepturum si vires, si tempus, si cætera voluntati responderint. Legas hoc interim quæso, & perlegas, nam scio tibi valdè profuturum.

F I N I S.